

dixit: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. xviii, 17). Sed ubi poterit hæc lepra mundari, nisi in Jordane? Ibi mergere, quicumque hujusmodi es, et attende quid fecerit magni consilii angelus, quomodo consilium suum postposuerit consilio, vel magis voluntati mulieris unius: beatam Virginem loquor; et fabri pauperis; ipse est Joseph. Inventus enim in medio doctorum, audiens eos et interrogans, quodammodo increpatus a Matre est: *Fili, quid fecisti nobis sic?* At ille: *Quid erat, inquit, quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? At illi non intellexerunt verbum.* Et quid fecit Verbum? Non capiebatur in se: *descendit*, ita ut esset etiam *subditus illis* (Luc. ii, 46-51). Quis jam non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suum Sapientia ipsa deseruit? Sic mutavit consilium suum, ut quod jam tunc cœperat, extunc usque ad tricesimum ætatis suæ annum prorsus dimiserit. Nihil enim ab hoc duodecimo anno de ejus doctrina vel operibus invenis usque ad annos triginta.

5. Sed forte quærendum ab ipso est quomodo voluntatem suam consiliumve reliquerit. O Domine, voluntas, de qua dixisti ut non fieret, si bona non erat, quomodo tua erat? si bona erat, quare derelicta est? Sic et consilium si non bonum, quomodo tuum? si bonum, quomodo relinquendum? Et bona erant, et ejus erant: neque minus tamen relinquenda, ob hoc videlicet ut fierent meliora. Neque enim oportebat **905** propria præjudicare communibus. Erat ergo voluntas Christi, et bona erat, quæ dicebat: *Si fieri potest, transeat a me calix iste* (Matth. xxvi, 59). Sed ea de qua dicebat: *Fiat voluntas tua* (Luc. xxii, 42), melior erat; quia communis non solum Patris, sed et Christi ipsius (oblatus est enim, quia ipse voluit), et nostra. Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum esset, ipsum solum maneret; mortuum vero multum fructum attulit. Atque hæc voluntas Patris erat, ut videlicet haberet quos adoptaret in filios; Christi erat, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; nostra erat, quia pro nobis faciebat ut redimeremur. De consilio idem dicimus. Christi enim erat, et bonum erat consilium illud quod ait: *Quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Sed quia illi non intellexerunt, mutavit illud consilium, ut nos mun-

A daret ab ea lepra, quæ proprii consilii est. Exemplum enim dedit nobis, ut et nos ita faciamus. Nam ab initio noverat quid esset facturus: sed voluit formam nobis hujus humilitatis exhibere, et ad lavandam pessimam hanc lepram divinum in se ipso parare Jordanem. Audiant igitur utriusque pariter, qui propriæ voluntatis, et qui proprii consilii lepra sordent: audiant quid Spiritus dicat Ecclesiis, brevi uno versiculo lepram utramque condemnans: *Sapientia, ait, quæ desursum est; primum quidem pudica est, contra propriæ voluntatis impuritatem; deinde pacifica* (Jac. iii, 17), contra consilii proprii obstinatam rebellionem.

6. Cum ab his septem purgatus fuerit æger, tanquam post septem cellas quærat septem fercula, quæ sunt septem Spiritus sancti dona. Porro, sicut in vita Domini ante passionem septem purgationes invenimus, sic et in apparitionibus septem quæ post resurrectionem factæ leguntur, septem illa dona Spiritus sancti possumus invenire. In prima spiritum timoris accipe, quando mulieribus sanctis venientibus descendit angelus de cælo, et terræmotus factus est, ita ut ipsas timore perterritas oportuerit ab angelo consolari (Matth. xxviii, 2-10). In spiritu pietatis apparuit Simoni (Luc. xxiv, 34), quia magna omnino, et vere Domino Jesu digna pietatis dignatio, quod ei quasi singulariter et ante cæteros dignatus est apparere, quem præ cæteris de negatione ejus rea conscientia confundebat, ut ubi abundavit delictum, superabundaret et gratia. In spiritu scientiæ duobus pergentibus in Emmaus Scripturas exposuit, incipiens a Moyse et prophetis (ibid. 27). In spiritu fortitudinis januis clausis intravit, ostendens manus et latus (Joan. xx, 19, 20), sicut solent in signum virtutis clypeorum foramina demonstrari. In spiritu consilii frustra in piscatione laborantes mittere in dexteram rete consuluit (Joan. xxi, 6). In spiritu intellectus aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (Luc. xxiv, 45). In spiritu sapientiæ die quadragesima apparuit eis, quando videntibus illis elevatus est (Act. i, 9), et viderunt Filium hominis ascendentem ubi erat prius. Usque ad illam enim diem quasi per stultitiam prædicationis salvos faciebat credentes; postquam vero coram eis ascendit ad Patrem, jam cœpit sapientia declarari.

IN OCTAVA PASCHÆ

SERMO I.

De fide vincente, et tribus testimoniis in cælo et in terra. (I Joan. v, 4-11.)

1. *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Postquam Unigenitus Dei non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, hominis quoque dignatus est fieri filius, et habitu inventus ut homo, non immerito jam de cœlesti generatione exiguitas humana præsumit. Neque enim indignum est Deo, eorum fieri

patrem, quorum se Christus fecerit fratrem. Hinc est quod beatus Joannes (qui sæpius nobis ac studiosius hanc commendat adoptionem filiorum Dei) in ipso quoque Evangelii sui principio: *Quotquot, inquit, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Joan. i, 12). Huic ergo verbo simile est quod audivimus hodie de **906** ejus Epistola recitari: *Omne, inquit, quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Quotquod enim sunt Christi, cum Christo eos, mundus odit; sed cum Christo superatur pariter et

ab ipsis. *Nolite*, ait, *mirari si odit vos mundus: scitote quia priorem me vobis odio habuit* (Joan. xv, 18). Et item: *Confidite*, inquit, *quia ego vici mundum* (Joan. xvi, 33). Sic nimirum manifesta fit sermonis illius veritas, quem ait Apostolus: *Quos præscivit*, inquit (haud dubium quin Deus Pater), *et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui* (Rom. viii, 29). Vide conformationem. Post ipsum adoptantur, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; post ipsum odit mundus eos; post ipsum et ab eis vincitur mundus.

2. Bene ergo quod natum est ex Deo, vincit mundum, ut si testimonium cœlestis generationis victoria tentationis: et sicut is qui filius est per naturam, mundum cum suo principe triumphavit, sic et nos victores inveniamur quotquot sumus filii adoptionis. Victores sane, sed in ipso, qui confortat nos, in quo et possumus omnia: quia *hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*. Fide siquidem in Dei filios adoptamur: fidem in nobis mundus in maligno positus odit atque persequitur; fide quoque et vincitur, sicut scriptum est: *Sancti per fidem vicerunt regna* (Hebr. xi, 33). Quidni attribuat fidei victoria, cujus est etiam via? *Justus*, inquit, *ex fide vivit* (Rom. i, 17). Quoties ergo tentationi resistis, quoties vincis malignum, noli propriis tribuere viribus; noli in te, sed magis in Domino gloriari. Quando enim fortis ille armatus tuæ cederet infirmitati? Audi denique quid dominici constitutus pastor ovilis admo- neat: *Adversarius*, inquit, *vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide* (I Petr. v, 8, 9). Vides quemadmodum sibi veritatis testimonia concinant. Paulus fide regna vicisse sanctos; Petrus principi mundi resistendum in fide; Joannes quoque: *Hæc est, inquit, victoria quæ vincit mundum, fides nostra*.

3. Sequitur: *Quis enim est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei?* Certum id quidem, fratres, omnem qui non credit in Filium Dei, ex hoc ipso jam non modo victum esse, sed etiam judicatum. Sine fide enim impossibile est placere Deo (Hebr. xi, 6). Verumtatem potest forte movere, quod tam multos videmus credentes Jesum Filium Dei esse, adhuc tamen mundi nihilominus cupiditatibus irretitos. Quid ergo ait: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quia Jesus est Filius Dei*, cum et ipse jam mundus id credat? An non ipsi quoque dæmones et credunt, et contremiscunt? Sed dico: Putasne, Filium Dei reputat Jesum, quisquis ille est homo qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is, etiamsi fateatur ne nosse Deum, factis tamen negat? Porro fides sine operibus mortua est in semetipsa (Jac. ii, 20). Nec sane mirum videri potest si nequaquam vincit, qui nec vivit quidem.

4. Quæris quænam sit vivida et victoriosa fides? Illa sine dubio per quam Christus habitat in cordi-

bus nostris. Christus enim et virtus est, et vita nostra. *Cum Christus apparuerit vita vestra*, ait, *Apostolus, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (Coloss. iii, 4). Unde gloria, nisi de victoria? aut quare cum ipso apparebimus, nisi quia in ipso et vincimus? Denique, si his tantum data est potestas filios Dei fieri qui suscipiant Christum, de his quoque solis intelligendum est quod dicitur: *Omnis qui natus est ex Deo, vincit mundum*. Inde est quod hic quoque cum dixisset: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quia Jesus est Filius Dei?* ut planius faceret eam commendari fidem per quam, ut dictum est, Christus in cordibus nostris habitat, addidit continuo de ipsius adventu, dicens: *Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus*. Adhuc autem supereminentiorem viam ostendens: *Et Spiritus est*, inquit, *qui testificatur quoniam Jesus est Filius Dei*. Sane quod interponit, signanter repetens: *Non in aqua solum, sed in aqua et sanguine*, ad Moysi differentiam **907** arbitrator accipiendum. Moyses siquidem in aqua venit, a qua et nomen accepit ut Moyses vocaretur.

5. Recolant quibus nota est historia Veteris Testamenti, quemadmodum in Ægypto, dum parvuli omnes Israelitici germinis necarentur, expositum in aquis Moysen tulerit filia Pharaonis (Exod. ii, 3). Et vide si non manifeste Christi et in hoc ipso videtur præcessisse figura. Simili nempe cum Pharaone etiam Herodes suspitione laborans, ad eadem conversus est crudelitatis argumenta, sed eodem modo est ipse delusus (Matth. ii, 16). Utrobique pro unius suspecta persona trucidatur numerositas puerorum: utrobique qui quærebatur evadit. Et quomodo Moysen filia Pharaonis, ita Christum quoque Ægyptus (quæ non immerito Pharaonis intelligitur filia) suscepit conservandum. Manifeste tamen plus quam Moyses hic, utpote qui venerit non in aqua tantum, sed in aqua et sanguine. Aquæ enim multæ, populi multi (Apoc. xvii, 15). Venit ergo in aqua tantum, qui congregavit quidem populum, sed populum non redemit. Nam et ipsa quoque de servitute Ægyptia liberatio, non Moysi, sed Agni sanguine facta est, liberandos nos præfigurans a vana nostra conversatione hujus sæculi, sanguine Agni immaculati Christi Jesu. Hic est verus legifer noster, apud quem copiosa est redemptio. Mortuus est enim non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in unum. Memento sane hunc esse Joannem, qui vidit, et testimonium perhibuit (et scimus quia verum est testimonium ejus), exiisse de latere Domini dormientis in cruce sanguinem simul et aquam: quo videlicet dormienti novo Adæ nova de latere suo proferretur pariter et redimeretur Ecclesia.

6. Sic ergo hodie quoque ad nos per aquam et sanguinem venit, ut sit aqua et sanguis testimonium adventus ejus, fideique victricis. Non solum autem, sed testimonium est majus his, quod perhibet Spiritus veritatis. Horum trium testimonium verum certumque est, et felix anima quæ moretur illud acci-

pere. *Tres enim sunt qui testimonium dant in terra; Spiritus, aqua, et sanguis.* In aqua quidem baptismum intellige, in sanguine martyrium, in Spiritu charitatem. Spiritus enim est qui vivificat; et fidei vita, dilectio. Denique, si quæris quid Spiritui et charitati, respondeat Paulus: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Rom. v, 5).* Necessario quoque Spiritus additur aquæ et sanguini, cum, eodem Apostolo teste, sine charitate quidquid habeas, nihil prosit (*I. Cor. xiii, 1-3*).

7. Jam vero quia baptismum aqua, martyrium diximus sanguine designari; memento et unicum et quotidianum esse baptismum, similiter et martyrium. Est enim martyrii genus et quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Est et baptismus aliquis in compunctione cordis et lacrymarum assiduitate. Sic quippe infirmis et pusillis corde necesse est, ut quem semel pro Christo ponere non sufficiunt, saltem mitiori quodam, sed diuturniori martyrio sanguinem fundant. Sic et baptismi sacramentum, quoniam iterari non licet, his qui sæpius in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri. Unde et Propheta: *Lavabo, inquit, per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo (Psal. vi, 7).* Vis ergo nosse quis est qui vincit mundum? Quæ in eo vincenda sunt diligentius intueri. Siquidem et hoc ipsum beatus iste Joannes indicat, dicens: *Charissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Omne enim quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi (I Joan. ii, 15, 16).* Hæ sunt tres turmæ quas fecerunt Chaldæi (*Job. i, 17*). Sed menimi quoque sanctum Jacob fecisse tres turmas, cum timeret a facie Esau, rediens de Mesopotamia (*Gen. xxxii, 7*). Et vobis ergo adversus triplex genus tentationis triplici opus est munimento: ut carnis quidem concupiscentia ipsius mortificatione vincatur, quam, si meministis, in sanguinis testimonio diximus intelligendam; oculorum vero concupiscentiam superet studium compunctionis et assiduitas lacrymarum; porro ambitionis vanitatem virtus charitatis excludat, quæ sola castificat animam, sola purgat intentionem. Certum quippe triumphati mundi testimonium est, si corpus castiges et subicias servituti, ne perniciose libertate serviat voluptati; si fletui præbeas oculos magis, quam petulantia vel curiositati; si denique, spirituali dilectione flagrans, nulli animum dederis vanitati.

8. Merito sane unus et qui in terra pariter et in cælo testimonium perhibet Spiritus; quia sive corporis afflictio cessabit, sive lacrymarum fons exsiccabitur; sed charitas nunquam excidit. Prælibatio quædam est in præsentia, consummatio et plenitudo in futuro manet. Verumtamen licet maneat post aquam et sanguinem Spiritus (squa quippe et sanguis regnum Dei non possidebunt), interim tamen aut vix aut nullo modo invenire est Spiritum sine

illis, quoniam *hi tres, inquit, unum sunt: ut, quolibet ex his tribus deficiente, adesse cætera non præsumas.* Simul vero juncta testimonia ista credibilia facta sunt nimis, nec poterit cui in terris suppetum hæc, carere testimonio vel in cælis. Confitebitur Dei Filium coram hominibus non verbo, neque lingua, sed opere et veritate: et Filius quoque confitebitur eum coram angelis Dei. An vero ei deesse poterit in testimonio Pater, cui Filium videat attestantem? Sine dubio confitebitur et ipse quod viderit in abscondito. Sed neque Spiritus quidem a Patre Filioque dissentiet; quippe qui Patris Filiique est Spiritus. Denique quonam modo careat testimonio ejus in cælo, qui habere illud meruit et in terra? *Tres ergo sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.* Et ne quam forte dissonantiam suspiceris, *hi tres unum sunt.* Magnum profecto habituri sunt testimonium, quos in cælo Pater susceperit tanquam filios et hæredes, Filius asciverit tanquam fratres et cohæredes, Spiritus sanctus adhærentes Deo unum spiritum faciat esse cum eo. Est enim Spiritus ipse indissolubile vinculum Trinitatis, per quem sicut Pater et Filius unum sunt, sic et nos unum simus in ipsis, eo miserante, qui pro discipulis hoc ipsum orare dignatus est, Jesu Christo Domino nostro.

SERMO II.

De tribus testimoniis. (I Joan. v, 4-11.)

1. Ex Epistola beati Joannis hodie nobis est lectio recitata, in qua discimus testimonium dari triplex in cælo, triplex in terra. Et quidem pro me sapere, illud stabilitatis, hoc reparationis est signum; illud angelos, istud homines; illud beatos a miseris, istud justos discernit ab impiis. Angelis siquidem qui in prima illa prævaricatione, superbiente Lucifero, in veritate steterunt, merito testimonium perhibet visio Trinitatis: hominibus, quos divina miseratio salvat, Spiritus, aqua, et sanguis, Quidni perhibeat testimonium Pater, a quibus honoratus est ut Pater? Tibi vero, maligne, sic loquitur: *Si ergo ego Pater, ubi est honor meus? (Malach. i, 6.)* Careas omnino necesse est testimonio Patris, cujus tibi gloriam usurpare conaris, non honorare eum cupiens, sed æquare. *Sedebo, inquit, in monte testamenti; et similis ero Altissimo (Isai. xix, 14).* Itane modo creatus, Patri spirituum consedebis? Et certe necdum tibi dixit: *Sede a dextris meis (Psal. cix, 1).* Si nescis, o impudens, Unigenitus ille est, cui æterna generatione Patris æqualitas collata est et consessus. Tu rapinam cogitans esse æqualis Deo, Filio gloriam invides, gloriam quasi unigeniti a Patre, ut ne ab ipso quidem testimonium merearis habere. An vero poterit detestato a Patre et Filio, utriusque Spiritus attestari? Abominatur superbum profecto et inquietum, qui super quietum et humilem requiescit amator pacis et unitatis consecrator, adversum te pro pace et unitate zelatur.

2. Quid mirum, fratres, si timemus ne forte pusillam hanc vineam Domini depasci singularis

ferus incipiat? Quantos enim cœlestis vineæ palmites prima illa singularitas conculcavit? Sed forte superbiam quidem in eo facile advertistis, non autem singularitatem. Dico ergo: Ubi stabat universitas angelorum, nunquid caruit singularitatis vitio, qui sedere velle præsumpsit? At forte quæritis, unde mihi nota sit hæc statio angelorum? Duos teneo idoneos testes, quorum uterque quod vidit, hoc testatur. *Vidi Dominum sedentem*, ait Isaias; *seraphim autem stabant* (Isai. vi, 1, 2). Et Daniel: *Millia*, inquit, *millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei* (Dan. vii, 10). An et tertium desideratis, ut in ore trium testium stet omne verbum? Apostolum profero, qui usque ad tertium raptus est cœlum, et rediens loquebatur: *Nonne omnes administratorii sunt spiritus?* (Hebr. i, 14.) Siccine ubi stant omnes, universi ministrant; tu, pacis inimice, sedebis? Plane contristas Spiritum, qui habitare facit unius moris in domo; offendis charitatem, quia scindis unitatem, rumpis vinculum pacis. Merito proinde angelorum, qui suum nec ordinem, nec domicilium reliquere, charitati, unitati et paci Spiritus attestatur, a quo sane tua et invidia, et singularitas, et inquietudo reprobatur. Et hæc quidem de eo testimonio, quod datur in cœlis.

3. Est et aliud quod datur in terra, ad discernendos utique qui in ea sunt exules ab indigenis, hoc est cœli cives a civibus Babylonis. Quando enim sine testimonio electos suos deserat Deus? Aut certe quænam eis esse poterat consolatio inter spem et metum sollicitudine anxia fluctuantibus, si nullum omnino electionis suæ habere testimonium mereantur? Novit Dominus qui sunt ejus; et solus ipse scit quos elegerit a principio. Quis vero scit hominum, si est dignus amore, an odio? Quod si, ut certum est, certitudo nobis omnino negatur, nunquid non tanto delectabiliora erunt, si qua forte electionis hujus signa possimus invenire? Quam enim requiem habere potest spiritus noster, dum prædestinationis suæ nullum adhuc testimonium tenet? Fidelis proinde sermo, et omni acceptione dignus, quo salutis testimonia commendantur. Hoc sane verbo et electis consolatio ministratur, et subtrahitur reprobis excusatio. Cognitis siquidem signis vitæ, quisquis hæc negligit, manifeste convincitur in-

Avano accipere animam suam, et pro nihilo habere terram desiderabilem comprobatur.

4. *Tres sunt*, inquit, *qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua, et sanguis*. Scitis, fratres, quia in primo homine peccavimus omnes, in ipso etiam cecidimus universi. Cecidimus sane in carcerem, luto pariter et lapidibus plenum. Exinde jacebamus captivi, inquinati, conquassati, donec venit desideratus gentium, qui nos redimeret, ablueret, adjuvaret. Hic est enim qui sanguinem proprium dedit in redemptionem, aquam simul produxit de latere suo in abluionem, emisit deinde de excelso Spiritum suum, qui adjuvaret infirmitatem nostram. Vis ergo nosse an hæc aliquid operentur in te, ne forte reus sis sanguinis Domini, quem evacuas quantum in te est; sed et aqua ipsa quæ debuerat mundare, in sordibus permanenti iudicium damnationis accumulet: Spiritus quoque, cui resistis, non liberet maledicum a labiis suis? Cavendum enim est ne sint tibi hæc infructuosa, quia necessario essent pariter et damnosa.

5. Quis est autem qui testimonium habet effusi non sine causa sanguinis Christi, nisi qui continet a peccatis? Servus enim peccati est, qui peccatum facit: ut si deinceps continere potuerit, et jugum abjicere miseræ servitutis, certissimum sit testimonium redemptionis, quam operatur sine dubio sanguis Christi. Verum non sufficit peccatori continentia, si non etiam adsit pœnitentia. Habet ergo et ab aqua testimonium, qui laborat in gemitu suo lavans per singulas noctes lectum suum. Sicut enim sanguis ille redemit, ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore; sic aqua illa abluit ab his peccatis, quæ commisimus **910** ante. Sed quid erit, quod longo catenarum usu et carceris habitatione crudeli confracti sumus, atque collisi defecimus in via vitæ? Invocemus Spiritum vivificantem et adiutorem, confidentes quia dabit Pater qui est in cœlis, spiritum bonum petentibus se. Sane novum supervenisse spiritum certissime conversatio nova testatur. Jam ut breviter repelam, a sanguine, et aqua, et spiritu habere est testimonium, si contines a peccatis, si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ.

IN ROGATIONIBUS

SERMO

De tribus panibus. (Luc. xi, 5-10.)

1. *Quis vestrum habebit amicum*, etc. Quid est quod amicum unum perhibet advenisse, nec tamen contentus est quærere panem unum? Putasne tam voracem æstimabat amicum, ut non posset uni sufficere panis unus? Nam uni quidem tres apponere panes, inconsequens omnino videtur. Puta ergo cum uxore et mancipio hominem advenisse, ut suum cuique panem apponere velit amicus. Ego quidem

amicum venientem ad me, non alium intelligo, quam meipsum. Nemo quippe charior mihi, nemo germanior est. Ad me ergo de via venit amicus, cum transitoria deserens, ad cor redeo, sicut scriptum est: *Redite, prævaricatores, ad cor* (Isai. xlv, 8). Deinde tunc vere sibi quisque amicus est, cum de via redit; quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam. A diè itaque conversionis meæ de via